



S. AURELII AUGUSTI-
NI, HIPPONENSIS EPISCOPI,
ET ALIORUM QUORUNDAM
EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

Augustinus Volusiano, exhortans illum ad scribendum, & indicans, quid ex literis sacris illi potissimum sit legendum.

Domino illustri & meritò præstantissimo filio, Volusiano, Augustinus Episcopus.

Edit.
Basil.
pag. 5.

DE salute tua, quam & in hoc seculo & in Christo esse cupio, sanctæ matris tuæ votis sum fortasse etiam ipse non impar. Unde meritis tuis reddens salutationis* officium, hortor, ut valeo, ut literarum verè certèque sanctarum studio te curam non pigeat impendere. Sincera enim & solida res est, nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec ullo linguæ tectorio inane aliquid appendulum crepitat. Multum movet, non verborum; sed rerum avidum, & multum terret factura securum. Præcipuè Apostolorum linguas, exhortor, ut legas: ex his enim ad cognoscendos Prophetas excitaberis, quorum testimoniis utuntur Apostoli. Si quid autem, vel cum legis, vel cum cogitas, tibi oritur quæstionis, in quo dissolvendo videar necessarius, scribe, ut rescribam. Magis enim hoc fortè, Domino adjuvante, potero, quàm* præsens talia loqui tecum: non solum propter occupationes varias, & meas & tuas; (quoniam non, cum mihi vacat, occurrit, ut & tibi vacet:) verum etiam propter eorum irruentem præsentiam, qui plerumq; non sunt apti tali negotio, magisq; linguæ certaminibus, quàm scientiæ luminibus delectantur. Quod autem scriptum habetur, semper vacat ad legendum, cum vacat legenti: nec onerosum fit præsens, quod, cum voles, sumitur, cum voles, ponitur.

*Meminit
hujus epi-
stolæ Possid.
in Indiscu-
lo.
* Al. obse-
quium,*

** Al. præ-
sentialiter.*

A

EPISTOLA